

pendiorum partem, tum compendiorum tribuant reipubli-
cæ, Veronæ, Brixia, Bergomi, Cremæ, Cremonæque,
atque Flaminia magistratibus item exceptis, & iis qui ul-
tra sinum Phanaticum sunt missi, qui omnes quartam mo-
do partem earum utrarunque rerum conferant: satis enim
magna alteris incomoda bellum esse ipsum allaturum,
alteris iter longum & impeditum jam attulisse, ne aliis
etiam oneribus ferendis æque ac cæteri afflentur. Eam
legem, uti dictum est, cum Senatus jussisset, majora quo-
que comitia triduo post habita pari studio jusserunt. La-
tum est etiam, uti exules illatae fortuito mortis causa,
qui una cum quatuor bello idoneis hominibus militiam
republicæ menses quatuor sua pecunia fecerint, ab exilio
revocentur.

Legatus deinde Bergomatibus est datus Marinus Geor-
gius, Ariminensibus Aloisius Armerius, qui eis in oppi-
dis administrando bello præfint. Interim cum a Petro Lan-
do Patres certiores facti essent, ab Julianis copiis incur-
siones in Republicæ fines fieri, abigique prædas, & agre-
stes homines vulgo interfici, vel captos in vinculis addu-
ci, eadem est in Julii finibus patrandi exercitui reipubli-
cæ a Senatu facultas tradita: Laurentiusque Sagredus præ-
fectus classis in Flaminia Picenique litoribus suis cum na-
vibus Ariminum contendere est jussus. Cumque hostium
numerus in Cremonæ finibus Abduæque ripis vehementer
augeretur, castellaque ad eos & pagi aliquot defecissent,
uti naves aliæ adverso Padæ flumine in Galliam mitteren-
tur, aliæ in lacu Benaco armarentur, lex est lata: præ-
fectique alteri classi Sebastianus Maurus, alteri Zacharias
Lauredanus dati. Gaspar etiam Severinas, qui Cesena
erat, seque reipublicæ obtulerat, & Antonellus Neapo-
litanus cum turmis equitum ad Republicæ militiam sunt
conscripti: atque hic quidem, quod erat plane dives, con-
fectis in urbe testamenti tabulis templi Marcii procurato-
res ex asse sibi hæredes instituit, atque ad bellum profe-
ctus est. Leonardus etiam Pratus, e Lupis Apuliae oppi-
do, ex societate Rhodiorum militum, se ad rempublicam

*Antonelli
Neapolitanus
& Leonardus
Pratus, ad-
venarum, in
Remp. libe-
ralitas.*